



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Dominium sine virtute. tit. 281

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Tertiò, mulier impudica est similis sepulchro fortis dealbato & aceruo summi nive tecto, &cæt. Cyprianus de habitu virginum: Cum venerint tales superbè ornatae mulieres ante conspectum Dei, dicet: Non te agnosco, non ego sic te creaui, non venies ad premia mea. Tu teipsum fecisti pulchriorem, non es imago mea. Vultum tuum liniuisti, crines composuisti, caput auro, collum pectus, &cætera. At dices: ego non intendo scandalizare aliquem. Respondeo. Esto, tu probabis, at alios scandalizas, &c. qui autem scandalizat, expediret, ut mola asinaria, &cæ. Matth. 18. si diues es, habes pauperes. Ideò Gerson parte 4. Hęc duo vitia superbus ornatus mulierum, & status mercatorum, non possunt sufficienter corrigi, &cæt.

*D OMINIVM SIN E VIR  
tute.*

### TITVLVS CCLXXXI.



Z E C H. 14. cap. inquit Dominus per Prophetam: Terra vel domus quæ pecauerit, extendam super eam manum meam, & conteram virgam panis eius, & immittam famem, & interficiam de ea hominem & iumentum: ybi autē fuerint in medio eius tres viri isti, Noe, Daniel & Iob, ipsi liberabitur. Iustitia sua animas suas, vide caput, si gladiū, si bestias, si pestilentia, &c. id est, si fides Danielis, timor Noe, patientia Iob ibi fuerit in tali domo aut terra, &c. sedit in lacu leonum Daniel, Daniel. 6. & 14. & fiducia sua stetit in Deum, sic in medio fornacis, capit 3. Timet Noe Deum, ædificat arcam, prædicat penitentiam, regit in diluio arcā, Gen. 7. sedet Iob in sterquilino ulcerum, & inquit: Sit nomen Domini benedictum, Iob. 1. Illi erant Domini habentes virtutem, vnde glorificabant subditos & regebant, & liberabant à periculo. Fides sperat & credit. Timor cauet peccata. Patien-

ea sustinet crucem. Hæc conseruant domum, & familiam emendant, & hic dat gratiam Deus. Si autem familia mala fuerit, nolens obedire, tunc virtus dominorum non liberabit eos, &c.

Secundò, Dominus igitur sine virtute dicitur, qui propter officium in superbiam eleuatur, nec se emendat, neq; subditos corrigit. Saul primum regnum cum humilitate suscepit, sed statim per superbiam contra Dominum peccauit, 1. Reg. 15. Salomon sedem patris obtinuit, & magnam sapientiam habuit, ita quod nec ante eum, nec post eum rex ei similis in sapientia inventus est, iuxta promissionem Dei, 5. Reg. 3. attamen tandem idolatria Dominum offendit, 3. Reg. 11. Ie-roboam cum decem tribus ad se traxisset à regno Salomonis, cuius fuit seruus, idololatrare fecit populum & ire post vitulos aureos, 3. Reg. 12. Holofernes princeps populi, voluit populum à Deo auertere, Iudith. 1. Omnes isti fuerunt domini sine virtute, id est, timore Dei. O quot hodiè sunt Tyranni, qui sic regunt, quasi non habent Deum supra se, putantes sibi licere quod lubet. Nemo agnoscit se seruum Dei & ministrum, Rom. 13. aut id, quod docet Petrus, 1. Petr. 4. Si quis ministrat, id est, officium regiminis habet, tanquam ex virtute quam administrat Deus. sunt ergo tales Tyranni, qui scopant populum omni scopa, sed postea ad ignem pertinent.

Tertiò, inquit Spiritus sanctus in lib. Sap. 6. Potentes potenter tormenta patiuntur, id est, propter eorum superbiam & negligentiam atque tyrannidem quam exercuerunt in pios homines Christianos. Vbi nunc Diocletianus, Decius, Nero, & alij Tyranni persecutores Christianorum? descenderunt in profundum, & Christus tamen viuit in æternum, Rom. 6. Clamat innocens sanguis, effusus ab illis, in cælū, sicut Abelis super Cain, Gene. 4.

DE

SUMMA DOCTR. CHRIST.  
DE PATIENTIA CHRL.  
*stianorum.*  
TITVLVS CCLXXXII.



AL VAL TOR noster Christus Matt.  
26. dum in horto crudeliter tractaretur  
& caperetur & ligaretur, voluit Petrus  
defendere Christum, & eduxit gladium,  
& percussit seruum pontificis, & absce-  
dit auriculam eius dextram. sed corripitur a Christo,  
& iubetur gladium mittere in vaginam, & inquit:  
Nunquid putas me non posse rogare patrem, ut mit-  
tat mihi plus quam 12. legiones angelorum? &cet.  
Subinde sanat auriculam serui, sed tacto illo Chri-  
stus voluit ostendere, ut Christiani, si persecutionem  
patiantur propter fidem & veritatem catholicam, se  
non vindicent aut defendant, nec verbo, nec opere,  
sed gladium in vaginam mittant, id est, omnem im-  
patientiam cohibeant. Vult enim Deus ad nostram  
coronam nos pati propter testimonium fidei & veri-  
tatis catholicæ, Matth. 5. Beati qui persecutionem pa-  
tiuntur, &cetera. Alioqui Deus in momento posset  
occidere omnes inimicos fidei, sed expectat ad pa-  
tentiam, Rom. 2. & propter nostram coronam.

Secundò, sic sanat auriculam serui, licet in eum  
grassatus fuerit, quo ostendit etiam nos debere orare  
pro nostris inimicis, ut simus filii patris, qui in celis  
est, Matth. 5. Sic dicit Luc. 21. In patientia vestra possi-  
debitis animas vestras, id est, Deus ordinabit, quod  
nostra patientia vincet tyrannidem, 2. Cor. 6. In mul-  
ta patientia. Tumultuetur mundus quantum ve-  
lit, si Deus pro nobis, quis contra nos? Romanor. 8.  
Nos facti sumus velut oves occisionis, Psal. 43. id est,  
iam sic existimatur ab incredulis, Ita cum Christo in  
patientia ad poenam crucis parati esse debemus, &c.

Tertiò, querit B. Augustin. lib. de patientia, capit.

26. Aa